






D. D. E. A.  
DISSERTATIO JURIDICA  
DE  
**DECIMIS**  
**ECCLESIASTICIS,**

*QUAM*  
IN INCLUTA QUÆ ARGENTINÆ  
EST ACADEMIA  
SUB MODERAMINE  
DOMINI  
FRIDERICI SCHRAGII, J. U. D.  
PANDECT. JURISQUE CANONICI PROF.  
ORDINARII, FACULTATIS JVRIDICÆ  
p. t. DECANI &c.

SOLENNI ERUDITORUM DISQUISITIONI  
SISTIT  
EMANUEL RÖTTLIN, COLMARIA-  
ALSATUS, AUTH. & RESP.  
D. MENSIS JULII, A. R. S. M DC LXXXIII.



ARGENTORATI,  
LITERIS JOH. FRIDERICI SPOOR.



J. N. D. N. J. C.

*Præloquium:*

**D**ecimarum jus naturâ tantum non duce primò delineatum, Lege divinâ deinceps expressum, à multis denique retrò seculis in usum receptum , dissertationis argumentum proponere animus est: materiam sanè, si ultra, insigni frequentia & usu, quem passim in foro judiciali exhibet, nulli non commendatam. In quâ repetendâ laborem eò libenter insumpsi, quo magis & dilectæ Patriæ meæ (si quid in me est) inservire, superiorumque jussui deferre, utrumque necessarium, obluctari in honestum duxi. Quanquam ipsa materiæ dignitas & amplitudo, cum ejus difficultate conjuncta, non spondentam requirunt eruditionem, adeoque arduum satis arguunt propositum. Quæ si

A 2

singula

singula animum scribentis ab instituto  
avocare debuissent, quomodo universis vi-  
res respondebunt? Condonabis tamen,  
Benevole Lector, si, rationibus superiori-  
bus motus inductusque, vadum tentare  
difficultatemque, pro exiguo ingenii mo-  
dulo, superare conatus sum. Quod felici  
ut fiat, voyeo, omine.

THESES I.

**C**um certæ alicui materiæ intento dispiciendum  
sit, unde nomen illius originem sortiatur, & in  
quos significatus se diffundat, antequam ad  
rem ipsam se accingat, exemplo J Consultorum  
in l.i.pr.ff.de Just. & Jur. l.i. & 2.ff. de pactis. l.i.ff. de acq. vel  
amitt. possess. l.i.ff. de furtu. l.i. ff. deposit. & Canonistarum  
in c. clericus qui 12. q.i. c. placuit. c.16. q.i. pariter & mihi  
decimarum jus delibaturo, à nominis subjectæ materiæ  
expositione, initium faciendum esse arbitratus sum.

**Etymolo-**  
**gia.**

II. Et primo quidem loco vocabulum Decimarum  
à Latino decem originem trahit. Quod ut in sensu suo  
nativo, numerum & quantitatem ex his quinque unita-  
tibus collectam, significat; ita præter naturam suam,  
partim à Philosophis, partim à Theologis & J Consultis,  
ad varias res significandas accommodatum est.  
Quo sensu quibusdam harmonicus, aliis mysticus, aliis  
perfectus, nonnullis circularis, numerus denarius dica-  
tur, ex JCultis quoque nostris Tiraq. trac. de præscript.  
§.1. gloss. 4. n.2. Rebuff. tr. de Decimis q.2. n.8. Canis,  
tr. de

2r. de Decim. c. 1. n. 9. Alex. Monet. tr. de Decim. c. 2. q. 2. n. 6.

& 7. & Werndle vom Zehend-Recht l. 1. c. 5. observarunt.

III. In jure numerus denarius accipitur modò <sup>Homony-</sup>  
adjectivè modo substantivè. Adjectivè vel in sensu defi-  
nito, vel indefinito. Indefinitè pro numero indeter-  
minato, eoque vel majori vel minori; Pro majori, cum  
extensivè effertur, ut in §. fin. Inst. de success. cognat. junct.  
l. 2. §. 1. ff. de suis & legit. hered. §. 3. Inst. de legit. agnator.  
success. §. fin. Inst. de servil. cogn. sicut & in Sacris Literis  
singulari emphasi incertum majorem numerum signi-  
ficat, veluti Gen. 31. v. 7. & 41. Num. 14. v. 22. Deut. 23.  
v. 3. Hiobi 19. v. 3. Conf. B. Dannh. nostrum in Coll. Decal.  
p. 31. Pro minori, cum restrictivè enuntiatur, ut in l. 30.  
§. 1. ff. de usurpat. ubi, notante Gothofredo, decem dies pro  
modico tempore habentur. add. Brandmüll. Manud.  
ad Jus Canon & Civ. verb. præscript. sine p. 322. Definitè,  
ut supra in significatu nativo. Substantivè *Decima* in  
genere fœminino enuntiata significat decimam rerum  
partem, ita ut subintelligatur portio, eodem modo, quo  
vicesima dicitur; & modo in singulari numero, ut in c. 7.  
15. 17. & 19. X. h. t. l. 2. §. fin. ff. de pollicit. modo in plurali  
rubr. & passim d. t. X. de decim. eum significatum sortitur.  
In hoc autem significatu vel absolute, partem decimam  
rei cuiuscunque, sive offeratur, sive non, vel relatè, deci-  
mam, quatenus alicui offertur vel sponte, vel necessario,  
denotat. Sponte quidem, quando vel DEO per modum  
voti, ut in d. l. 2. §. fin. ff. de pollicit. Rebuff. q. 3. n. 15. vel  
hominibus, puta de se benè meritis, in signum gratiu-  
dinis, vel aliis, exercendæ liberalitatis causâ, offertur. Ne-  
cessario, cum latè tum strictè. Latè, primo eam, quam Impe-  
rantes locupletandi ærary causâ jure tributis vel vectigalibus cu-  
jusdam subditorum bonis Decimam imponunt, detrahunt;

codem planè sensu, quo olim vicesima quoque à Principibus Romanis aliisve exacta fuit; Ut dictum est in disputat. de Vicesimâ hæred. sub Domino Præside &c. anno 1677. habitâ c.i. Quarum Decimarum illustria exempla hodiè sunt, cum in Decima, quæ pro emigratione, tum in eâ, quæ pro exportatione, solvitur. Deinde ex LL. Justinianeis celebris est (1) *Decimam metallorum*, de quâ in l. cuncti 3. C. de metallar. & metall. (2) quæ in poenam temerarii litigii olim præstabatur, de quâ §.i. v. hæc aut. Inst. de pœn. tem. litigant. & Rebuff. tract. de Decim. q.3. n.20. (3) quæ aliis quibuscumque nominibus publicâ authoritate imponitur, quales recenset Rebuff. d. q.3. n.18. 21. & seqq. add. infra Affin. In lato significatu quoque continet censum, vid. Schilt. Inst. Iur. Canon. 2.8.13. Strictè atq; excellenter *Decimam proventuum*, quæ ad usum Ministeriorum Eccles. refertur: Et significat vel materialiter ipsos proventus, qui in quantitate hâc in salarium Ministeriorum præstandi sunt passim t.X. de Decim. vel formaliter *jus percipiendi* Decimam proventuum portionem, pro salario & sustentatione dict. personar. c. cum in tuâ X. b.t. Werndle vom Zehend-Recht lib. I. c.I. Quibus tertius addi potest significatus, quo Decimæ ex communi usu loquendi pro territorio & districtu, ex quo debentur, usurpantur. vid. Besold Thes. Pr. V. Zehend. ibi, das Wort Zehend / oder im Zehenden gelegen / ist nicht pro Zehendbahr/ sed potius pro territorio & districtu, zu vernehmen/ indem man gewöhnlich zusagen pfleget / so weit geht dieses oder jenes Flecken Zehenden / das Gut ist in einem oder anderem Zehend gelegen.

IV. In stricto atque excellente hoc significatu Decimæ porro veniunt vel pro verâ & naturali decimâ proventuum parte, vel ficte & civiliter pro eo, quod pro Decimâ parte & jure Decimarum habetur, licet Decima

ma pars non sit: Prout Decimarum jure modo duodecimam, modo vigesimam, modo aliam proventuum partem, statuto, consuetudine, testamento, vel conventione constitui posse facile intelligitur. *Conf. c. in aliquibus 32. §. illa que c. commiss. 4. c. cum sint homines 8. c. dilecti 18. c. ad Apostol 20. X. de decim.* Rebuff. tr. de *Decim.* q. 4. n. 2. & q. 13. n. 46. Alex. Monet. de *Decimis* c. 2. n. 4. Werndle l. I. c. 4. Carpzov. *Jurispr. Eccl. l. I. defin.* 225. n. 13. 14. & 15. add. Dessel. *Erotem. Juris Canon.* lib. 3. tit. 30. q. 1. atque interdum nonam partem fructuum ita dici, ex Lehmanni *Chron. Spir.* lib. 2. c. 35. notavit Dom. Schilt. *Inst. Juris Canon.* 2. 8. 13.

V. A voce hâc oriuntur sequentia conjugata: *Decimare*, i. e. Decimam bonorum suorum partem impertiri, itemque levare & persolvere, vid. Carol. du Fresne in *Gloss. ad scriptores med. & infim.* Latinit. voce *Decimare*. *Decimaria*, h. c. prædium seu ager, in quo p̄cipit fructuum decima, item jus percipiendi Decimas ad aliquem pertinens. *Decimarij*, h. e. rustici, qui terrarum sive aliarum rerum decimas Dominis, vel Presbyteris, persolvunt: item, qui decimas vel suo, vel Domini, aut alterius, nomine exigunt. *Decimator*, idem fortè qui *Decimarius*, vel, qui jus habet exigendi Decimam in agris; *Le dixmier* Gallicè. *Decimatura*, idem significans, quod *Decimaria*; denique adjективum *Decimanus* vel *Decumanus*, qualis dicitur ager, ex quo sc. decimæ vel decima pars fructuum penditur, item *Publicanus*, qui decimas conduxit, teste Cicerone lib. 2. in *Verr. p. m. 159.* & lib. 3. p. m. 168. & seq. item *frumentum decumanum* lib. 1. in *Verr. p. m. 87.* & l. 3. p. 166. talis quoque dicitur limes maximus inter agros, qui ab oriente ad occidentem per transversum dirigitur: sic dictus, quia formam X. efficit. Carol. du Fresne d. l.

VI. Di-

Synony-  
mia.

VI. Dicuntur decimæ alio nomine, decima pars, Census, Reditus Ecclesiastici, Tributa & Alimenta egentium animarum, c. tua nobis 26. X. h.t.c. Decimæ 16. q. i. Sanctuarium DEI. c. adhac. 15. X. h.t. Cibus DEI, & Alimenta scripturæ sanctæ. c. revertimini. 16. q. i. Decimationum proventus in c. si quis Laicus. 42. c. 16. q. i. legitur. Gallico idiomate sonant le dixme. Italico, Decime. Germanico & vernaculo der Zehend / das Zehend-Recht.

Definitio

VII. Præmissis hisce Decimas Ecclesiasticas formaliter consideratas definio: Jus Ecclesiæ circa Decimam proventuum licitorum pro salario Ministrorum ejus competens. Generis loco assignavi jus. Jus dico, neque enim decimæ hic materialiter considerantur, sed formaliter, ut facultatem significant: quo sensu facultatem dixerim infra apparebit in expositione formæ. Non addidi in re, nec ad rem, ex ratione ibidem expressâ. Nec dixi Censum aut Tributum: quamvis enim Decimæ nonnunquam census appellantur; vocabulum tamen hoc non tantum æquivocum est, ut docuit Tabor Disput. habitâ Argent. anno 1643. de jure Emphyteut. th. 75. sed in eo quoque significatu, quo Censum Ecclesiasticum significat, sensum à Decimis planè diversum habet. vid. Canonistæ ad tit. X. de Cens. ideoque de decimis non nisi impropriè prædicatur. Tributum quidem decimæ appellantur in c. tua nob. X. de Decim. sed & hæc acceptio non nisi παχυλᾶς & ἡ τῷ πλάτει huc trahitur, ut adeò minus propriè tributum generis loco poni queat. Conf. Canis. c. 4. n. 7. Addidi Ecclesiæ competens: sicut enim Decimæ hic non considerantur, quatenus vel DEO omnium rerum Domino, vel Magistratui Politico, jure Dominii cuiusdam eminentis, competunt;

ita

ita non de aliis, quam de his, quæ Ecclesiis debentur, hic agi, ipsa hujus dissertationis Rubrica argumento esse potest. Quemadmodum nec de Decimis aliis piis locis quacunque ratione concessis hic sermo est. Addidi, circa decimam proventuum. Proventum quidem, ad differentiam ipsarum rerum principalium, quarum Decima Ecclesiæ non competit, atque alias Decimæ non essent jus in re alienâ, sed in re propriâ, quas tamen, quantum ex re principali debentur, speciem servitutis continere, infra in doctrinâ formæ apparebit. Decimam vero, ut discriminantur Decimæ à primitiis & oblationibus aliis, quæ Ecclesiæ in decimâ portione proventum non competitunt; Decimam autem cum civilem, tum naturalem intelligo, ut supra. Addidi licitorum: Proventus enim ex causa turpi & illicita Canones decimis Ecclesiasticis indignos judicant, arg. c. ex transmissâ 23. X. h.t. quo de infra. Adjeci, pro Salario Ministrorum Ecclesiæ: hic enim finis est Decimarum Ecclesiasticarum, quo non tantum ab illis Decimis, quæ Imperantibus ad fines seculares offerri debent & præstandæ sunt, sed ab his quoque oblationibus, quæ ad alios usus, puta sustentationem Pauperum, Pupillorum, aliarumque piarum Personarum vel corporum, offeruntur, discretæ sunt.

IIX. Dividuntur Decimæ variè. (1) enim à causâ efficiente in *Legales*, quæ immediatè ex legis dispositione competunt, *Testamentarias*, quæ testamento constituantur & *Conventionales*, quæ ex partium conventione descendunt. (2) à materiâ. Primò in *Personales* & *Prædiales*, quibus nonnulli tertiam addunt speciem, nempe mixtas. *Personales* dicuntur, quæ ex facto Personæ debentur, h.e. ex rebus, quas quis suâ industriâ & operâ acquisivit, veluti ex officio civili, militâ, mercaturâ, venatione,

*Diviso  
1. à causâ  
efficiente.*

*2. à mate-  
riâ.*

B

artificio,

artificio, aliove quolibet actu & quæstu licito. c. ad Apostolice 20. c. non est in potestate 22. c. Pastoralis 28. X. h.t. add. c. 5. 21. 23. & 26. eod. c. decimæ. 16. q. 1. Rebuff. q. 3. n. 29. & q. 8. n. 2. 18. 19. & 20. Werndl. tract. vom Zehend-Recht. lib. 1. c. 2. & l. 2. c. 1. Schöttel. lib. de singul. in Germ. Juri- bus. rubr. vom Zehend. c. 8. n. 3. Quæ tamen Decimæ ho- diè in Germ. usitatæ non sunt, omniumque ferè loco- rum consuetudine contrariâ, vel desuetudine, sublatæ. Werndl. d.l. Besold. Thes. Pr. voce Zehend. Schöttel. d.l. maxime in nostris Ecclesiis. Dn. Schilt. Inst. Jur. Can. lib. 2. tit. 8. § 13. Prædiales sive reales Decimæ sunt, quæ ex fructibus prædiorum debentur; cujus generis sunt, frumentum, oleum, vinum, ligna, fructus arborum & similes, de quibus Decimas solvendas esse, passim X. h.t. & in 6. eod. occurrit. Secundò in majores & minores, quæ vulgo dicuntur, der grosse und kleine Zehend. Besold. Thes. Pr. voce Zehend. Majores sive grossæ sunt, quæ de frumento, vino, oleo, aliisque hujus generis penduntur. Minore, seu parvæ, item minutæ, quæ ex hortis, arbori- bus, partu animalium, ovis, lanâ, lacte, caseis, præstantur: de quibus textus, Gloss. & DD. in c. cum in tuâ. & c. ex multiplici X. h.t. Rebuff. q. 3. n. 26. Canis. de Decim. c. 2. n. 4. Dessel. Erotem. Jur. Can. lib. 3. t. 30. q. 3. Besold. d.l. Prodi- versâ tamen locorum consuetudine diversimodè. Præ- diales Decimæ subdividuntur in Decimas Mergitum sive manipularias, Zehend-Garben & Granorum, Zehend-Korn/ Haffer-Decem. Dn. Schilt. Inst. Jur. Can. d. l. 2. tit. 8. § 13. ibique cit. Carpzov. lib. 1. defin. 127. Earundem Præ- dialium species sunt decimæ Novalium; cum illæ, quæ debentur ex agro de novo ad culturam redacto, de quo non exstat memoria, quod aliquando cultus fuerit, & qui ante culturam vel modicum vel nullum afferebat fructum.



fructum. c. I. d. V.S. Gloss. in c. 4. verb. pascuis X. b.t.  
Dessel. Erotem. Jur. Can. d. l.3. tit. 30. q. 9. tum hæ, quæ  
ex terrâ præcisâ, postquam anno cessavit l.30. §. 2. ff de  
V.S. præstandæ veniunt, German. Zehenden vom Brach-  
Feld/ oder Brach-Acker/ de quarum justitiâ infra. *Mixtas*  
dicunt, quæ partim reales sive prædiales, partim verò  
personales, veluti quæ ex fructibus pecorum aliorum-  
ve animalium, ex foetu sc. lanâ & lacte, colliguntur. Sed  
cum hæ ad alterutram illarum, cuius naturam maximè  
sequuntur, referri possint & debeant, meritò tanquam  
peculiaris species attendendæ non sunt, teste Werndle  
lib. I. c. 2. Hackelm. *Disput. Jur. Can. 8. de Decimis th. 4.* in  
*not. circa fin.* (3) à formâ : primo in *Decimas Decimarum*, 3. à formâ  
quas Levitæ olim dabant Sacerdotibus, filiis Aaronis, de  
quibus Num. 18. v. 26. & seqq. & Nehem. c. 10. v. 38. & De-  
cimas simplices sive primas, ex quibus illæ præstabantur.  
Secundo in *veras & fictas* : quarum illæ veram proven-  
tuum decimam continent, hæ naturaliter quidem eam  
non habent, Juridice tamen eandem repræsentant. Cui  
convenit divisio in *Decimas certas & incertas* : *Certas*,  
h.e. certæ atque stabilis quantitatis & summæ, citra  
respectum redditum ; *Incertas*, quæ pro Decimâ pro-  
ventuum non determinatorum & profertilitate anni  
competunt. *Certarum species quædam sunt, quæ ex*  
*Locatione-Conductione, vel simili contractu fructuum*  
*proventuumque incertorum, Domino territorii vel*  
*alii concessorum, Ecclesiæ affirmam debentur: de qui-*  
*bus est c. 2. X. de Locat.* Videtur enim contractus *ad fir-*  
*mam origine suâ nihil aliud esse, quam conventio, quâ*  
*reditus incerti pro certâ firmâ & fixâ quantitate alteri*  
*conceduntur. arg. l. 8. Cod. Locat. sive, ut Cujac. in re-*  
*cit. ad. d. c. 2. loquitur, sub mercede sive pensione certâ &*

firmâ, vectigali fixo. Unde Gallicum bailler à ferme & fermier. Cujac. d.l. Tab. Disput. de Admodiat. memb. 2. c.1. §.7. Carol. du Fresne Gloss. voce Firma. Ad formam quoque earum accidentalem referri potest divisio decimarum in feudales & non feudales, de quâ Dom. Crolov. th.40. & seqq. 4. ab Effectu distinguuntur in Decimas irremissibiles, quæ sine exceptione casus fortuiti debentur, & remissibiles, quæ ob casum fortuitum e.g. prædationes hostiles, tempestates vel sterilitatem debitoribus vel in totum vel in tantum remittuntur. arg. l.8. C. Locat. l.15. §.4. ff. eod. c.3. X. eod.

Causa Effi-  
ciens Re-  
mota.

IX. Decimarum Causam Efficientem constituo aliam remotam, aliam propinquam. Remotam facio jus cum divinum, tum humanum. Divinum cum morale, tum positivum; Morale, quatenus dictat Personis in officio, præcipue Ecclesiastico, constitutis condignum salarium honorariumque esse constituendum, per loca scripturæ. Deut.25. vers.4. Matth..22. vers.21. itemque 10. vers.10. Luc.10.vers.1. I. ad Timoth 5. v.18. I. ad Cor. 9. vers.7. & 14. itemque c. cum secundum. 16. X. de præb. & dignit. c.1. §. his itaq. 13. q.1. Ziegli. incom-  
ment. ad Grot. J. B. et P. lib. 1. c.1. §. fin. vers. nec minus fruct. decimâ. Carpzov. Jurispr. Consist. lib.1. defin.125. n.3. 10 et II. Werndle tr. de Decim: lib.1. c.1. et c.4. itemq; lib.2.c.6. Rebuff. tr. de Decim. q.2. n.2. Covarruy. tom.2. var. resolut. lib.1. c.17. vers. consequitur. 2. Canis. Praelect. Acad. ad tit. de Decim. c.3. n.4. Dn. Crolov. §.14. et seqq. Positivum, postquam ex præcepto DEI jam in Ecclesiâ post-diluvianâ per ordinationes Ecclesiasticas Sacerdotibus Decimæ in partem salarii fuerunt assignatae: quod colligitur vel exemplo Patriarchæ Abrahami, qui Melchisedeco decimas spoliorum suorum non

non alio nomine, quam quia supremus DEI Sacerdos erat, obtulit. Gen. 14, 20. Ep. ad Hebr. 7, 1. et seqq. Licet nonnulli falsâ persuasione sibi fuerint imaginati, oblationem istam, summo Sacerdoti factam, honorarii tantum speciem fuisse, nec ex lege aliquâ debitam, quorum errorem vel solus Numerorum c. 18. vers. 24. locus refutat. vid. Pl. Reverendi Dn. D. Schmidii *Comment. in Epist. ad Hebr. c. 7. v. 4.* De jure enim Mosaico res manifesta est, atque de Decimis, Sacerdotibus totique tribui Levi præstandis, constat ex Levit. 27. v. 30. Deut. 12. v. 6. et 26. v. 12. Rebuff. d. q. 2. n. 2. et 3. Jus humanum seu civile huc refero, quatenus ad constitutionem Decimorum mediatè concurrit, h.e. actus privatorum ad constitutionem Decimorum dirigit.

X. Causam efficientem proximam duplicem asse-  
ro, publicam & privatam. Publicam statuo legem, *Causae effie.  
proxima  
Publica.*  
quæ Decimas rebus privatorum imponit: Cujus illustre exemplum ex Vet. Testam. occurrit in Lege Mosaicâ, quâ Deo jubente Decimæ præstandæ erant Tribui Levi Num. 18. v. 21. & 24. Levit. c. 27. v. 30. & seqq. Ioco Salarii d. c. 18. v. 21. Deut. 12. v. 6. 2. Paral. 31. v. 5. add. Dom. D. Schmid. d.l. & Zepperus in *Explanat. LL. Mosaic. l. 4. c. 10.* q. 1. Ad cuius legis imitationem quin hodieque Principes Christiani, pro almoniâ & victu Ministrorum Ecclesiæ, subditorum suorum bonis Decimas imponere possint, eo minus dubitandum est, quo majori vinculo ipsi ad promovendum cultum divinum & salutem Ecclesiæ, quam commodum Reipubl., obstricti sunt. Hanc vero Decimas imponendi facultatem eidem Juri Majestatis tribuo, quod Imperantibus in bona subditorum ad utilitatem Reipubl. dispensanda competit, h.e. *Dominio*, quod vocant, *Eminentia*: cuius vigore ut Im-

perantes inductionem vectigalium, tributorum & similiū onerum exercent, ita ex eodem jure Decimas ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ legitimè imperant. Do autem jus hoc imperandi Decimas potestati Seculari, non Ecclesiasticæ: est enim præstatio Decimarum medium proximè & per se ad salutem & sustentationem corporis, non animæ, spectans, qualibus mediis potestas Ecclesiastica cultum divinum non conservat, atque impositio Decimarum actus est Imperii Externi, quo nihil spiritui sed corporalibus bonis imponitur, actus, inquam, quo circa bona imperatur, non animam; Ecclesiasticæ potestati non competit imperium in bona, sed in animam. Quantumvis Canones juris Pontificii potestatem eam non alii magis, quam Pontifici, quasi Vicario DEI, ut Domini rerum omnium Universalis, adscribant. c. tua nobis. 26. c. cum non sit in homine. 33. X. h.t.

*Causa efficitur  
privata.*

XI. Privaram facio voluntatem Privatorum, quâ jus Decimarum erigitur; postquam privatum quemque decimam bonorum suorum DEO atque Ecclesiæ ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ offerre posse indubium est. Erigitur autem vel actibus inter vivos, vel ultimæ voluntatis. Posteriori modo vel voluntate expressâ disponentis vel tacitâ, utrâq; vel directâ vel indirectâ. Directâ, ut legato & donatione mortis causâ, indirectâ, puta fideicomisso, quando quis heredem suum rogat, ut ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ decimas bonorum hæreditariorum Ecclesiæ restituat. Inter vivos, vel ut jus ad rem, per modos acquirendi jus ad rem, h.e. per causas & titulos ad transferendum jus in re habiles, veluti per pollicitationem, pactum, transactionem, contractus, præsertim stipulationis, emptionis-venditionis, permutationis &c. arg. l.16. ff. comm. præd. l.5. de ser-

*vit.*



vit. §. 4. *Instit.* eod. i. *feud.* 4. §. 2. & 22. *vers.* si quis. *Canis.* c. 15-  
velut jus in re, per modos acquirendi jus in re, & quidem  
exemplo aliorum jurium in re, vel per *Cessionem* veram,  
quæ aut traditione h.e. reali inductione in prædium deci-  
male, arg. l. 11. §. 1. ff. de publ. in rem actione, aut patientia  
sinentis uti. arg. d.l. & l. fin. ff. de servit. add. *Gothofr.*  
ad. l. 43. §. 1. ff. de A.R.D. expeditur; vel per præscriptio-  
nem sive cessionem præsumptam. arg. l. 10. pr. ff. si servit.  
vindicet. l. 2. l. 13. C. de servit. & aquâ l. fin. in fin. C. de præ-  
script. longi temporis. Sic unam Ecclesiam in parochiâ  
alterius quadraginta annorum spatio decimas præscri-  
bere, disertè rescriptum est in c. ad aures 6. X. de præscript.  
add. *Caus.* 13. q. 2. pr. c. episcopum. de præscript. in 6. Conf.  
*Monet.* de Decim. c. 5. q. 5. n. 107. Werndle vom Zehende  
Recht l. 3. c. 7. *Canis.* prælect. Academ. ad tit. de Decimis  
c. 9. n. 5. *Crolou.* §. 36. & seqq. vel per donationem. vid.  
6. cum *Apostolica* 7. de his quæ sunt à Prælat. c. ultim. v.  
quamobrem c. 16. q. 1. c. fin. de Rerum Permutatione. arg. c.  
adhæc. 15. c. quamvis. 17. c. prohibemus 19. X. h. i. c. I. 16. q. 7.  
*Monet.* cap. 8. q. 4. n. 46.

XII. In Causâ subjectivâ duæ interveniunt personæ *Causa sub-*  
1. accipientes, sive, quibus Decimæ debentur, 2. solven- *jetiva.*  
tes, seu, quæ dare eas tenentur. Quod personas,  
quibus Decimæ debentur, attinet, aliæ sunt princi-  
pales, aliæ surrogatæ. In Veteri Testamento de jure  
Mosaico omnes omnino decimæ Levitis pro Ministe-  
rio in tabernaculo fœderis assignatae fuerunt. Num. 18,  
v. 21. & 24. Deut. 26. v. 12. 2. Paralip. 31. v. 5. Nehem. 10.  
v. 37. Epistol. ad Hebreos. 7. v. 5. add. supra §. 9. Rebuff.  
q. 7. n. 1. De jure Canonico, Canones & Pontifices Cleri-  
cis, qui in sacris faciendis ac divinis ministeriis obeun-  
dis occupati sunt, ex Decimis de alimentis & honestâ su-  
stenta-

stentatione prospicere voluerunt, ne manibus suis operari & divinum ministerium negligere cogerentur. Tynd. *de decim. n. 25.* Rebuff. *q. 2. n. 2.* Et quidem communis Canonum jure Decimæ Ecclesiis Parochialibus eorumque Ministris debentur. *c. cum contingat. 29. X. h. t.* ex quo patet expressè, quod Decimæ de jure communi ad Parochiales Ecclesias pertineant, ut judicat Gloss. in *d. c.* ubi etiam ad ea, quæ obstare videntur, resp. Utrum verò Ecclesiæ, in cuius parochiâ sita sunt prædia, an ubi colonus audit divina & percipit Ecclesiastica Sacramenta, Decimæ prædiales solvendæ sint, nihil quidem certi definivit Pontifex, sed ad consuetudinem recurrentum esse duxit in *c. cum sint homines. 18. X. h. t.* Sed videantur *c. 2. de Rest. Spoliat. in 6. c. cum contingat. 29.* & *c. quoniam. 13. X. h. t.* De Decimis Novalium apertè constitutum videtur in *d. c. cum contingat.* & *c. quoniam. 13. X. h. t.* quod Ecclesiæ Parochiali, in quâ Novalia prædia surgunt, regulariter præstandæ sint. Mon. tr. *de Decim. c. 4. n. 53.* Rebuff. *q. 14. n. 2.* & seqq. Werndle *lib. 4. c. 3.* Wehn. *Obs. Pr. voce Noval. Zehend.* Brunnemann. *Jur. Eccl. 2, 6, 9.* Quibus vero personis in specie Decimæ solvi debeant, tractarunt uberioris Rebuffus, *q. 7.* Monet. *c. 7.* Canis. *d. c. 8.* Werndle *vom Zehend. Recht lib. 2. c. 4.* Personales Decimas ad Ecclesiam, in quâ debitor Sacra menta Ecclesiastica percipit, licet alibi lucrum obtigerit, pertinere, ex *c. ad Aprst. 20. X. eod.* & *c. fin. X. de paroch.* docuit Canisius *c. 8. n. 1.* atque ita de jure divino & Canonico. De consuetudine verò ex pactis & transactionibus non tantum Ecclesiasticis Personis, sed Secularibus quoque per surrogationem quandam Decimas cōpetere, ut manifestum est; ita quomodo ab Ecclesiis Parochialibus earumque Ministris, quarum gratiâ primò

primò constitutæ fuerunt, ad Laicos translatæ iisque  
acquisitæ sint, inquirunt Zepperus in *Explan. LL. Mosaic.*  
*lib. 4. c. 10.* itemque Schöttel. *de singularibus in Germ. ju-*  
*rib. c. 8.* ex Cranzio, quem ibi allegant *lib. I. metrop.*  
*c. 2.* Quibus vero Laicis, docente Zepperio d.l. decimæ  
eiusmodi titulo acquisitæ sunt, ii in justâ earum posses-  
sione sunt easque legitimè percipiunt. *De jure Germ.*  
*jus exigendi Decimas* habent Ministri illius Ecclesiæ, ad  
quam jus Decimarum ex jure in re pertinet; Unde &  
heterodoxis sive personis diversæ religionis solvendæ.  
Pacif. Relig. §. Dagegen sollenre. aut jure Retorsionis  
denegari possunt. *Carpzov. I. defin. Ecclesiast. 137.* Schilt.  
*Inst. Jur. Canon. 2. 8. 16.* Quibus de jure hodierno Deci-  
mæ Novalium post immemoriale tempus cultorum de-  
beantur, prolixè tractavit Wehnerus d.l. Dn. Stryck. ad  
Brunnem. *Jur. Eccl. 2, 6, 9.* ego verò aliis decidendum  
relinquo.

XIII. Ex parte eorum, qui eas solvere tenentur, de  
jure Canonicō occurrit I<sup>mo</sup> omnium regula in c. à nobis.  
24. X h.t. proposita: Quemlibet Decimas solvere teneri,  
nisi à præstatione ipsarum specialiter sit exemptus, h.e.  
regulariter omnes, cujuscunque generis vel ordinis exi-  
stant, præstationi Decimarum subiectos esse, sc. quatenus  
proventibus gaudent. c. ex transmiss. 23. c. ex parte. 21.  
c. cum homines. 7. c. pastoral. 28. X. h.t. c. dilecti. 8. c. tua nob.  
26. c. in aliquibus. 32. X. eod. Quatenus Clerici vel Mo-  
nachi Decimas persolvere teneantur vel non, vid. potest  
ine. novum genus. 2. c. 3. 4. et 8. c. nuper abbat. penult. X. h.t.  
c. fin. §. cæter. de Decimis in 6. Totum vero hunc locum  
prolixius exposuerunt Monet. d. tr. c. 5. Canif. c. 4. 5. et 6.  
add. Dessel. Erotem. *Jur. Canon. lib. 3. tit. 30. q. 6. et seqq.*  
Quomodo Laici à solutione Decimarum eximantur,

C

vid.

vid. Knafl. *Disput. inaugural. de Decimis.* l. 7. Exemptio autem personalis successori non privilegiato non proficit. arg. c. licet. II. X. h.t. junct. c. sanè. 9. X. de privileg. c. privil. 7. de R. J. in 6. §. 6. Inst. de J. N. G. & C. add. omnino arg. l. 9. §. ult. ff. de Publ. junct. l. in omnibus causis. 68. ff. de R. J. De jure hodierno mos cujusque loci spectandus est.

Objectum  
Decima-  
rum.

XIV. Objectum Decimarum aliud remotum, aliud propinquum, est. Remotum aliud prædialium, aliud personalium. Prædialium sunt bona prædalia cujuscunque generis; Personalium sunt operæ. Propinquum sunt proventus licitus in latissimâ significatione: Sic enim Cœlestinus III. in c. ex transmissâ. 23. X. h.t. Quia fidelis homo de omnibus, quæ licite potest adquirere, decimas erogare tenetur: Add. c. tua nobis. 26. v. & Cum. X. eod. Qua definitione omnis generis proventus continetur. dd. cc. sive industrialis sive naturalis, sive ex prædiis sive ex mobilibus, sive ex rebus, sive ex operis, laboribus & quæstu proveniat c.s. 20. 21. 22. 23. & 26. h.t. c. i. d. V.S. in 6. Atque de jure Mosaico ex omnibus terræ fructibus & foetu animalium solvendæ erant decimæ. Levit. c. fin. v. 30. & 32. 33 quod & Ecclesiastico juri anteriori convenit. arg. Gen. 14. 20. Epist. ad Hebr. 7. 2. 4. Proventus autem pro diverso conceptu Juris, modo futuros, modo præsentes, modo præteritos inrelligo. Prædialium ergo Decimarum objectum propinquum sunt proventus prædiorum earumq; rerum, quæ & quatenus pro parte prædiorum in jure habentur, veluti frumentum, vinum, fructus arborum, pecorum, apum, columbarum, obventiones molendinorum, cœpæ, brassicæ, olera, cannabis, linum, aliquæ ejusmodi fructus agrarii, qui Germanis sub nomine Abersaat veniunt.

vid.

vid. Werndle lib. 2. c. i. q. 1. item venatio & piscatio, quatenus fructus prædiorum, ut & lapidicinæ, & metallæ, idque genus alia, quæ in fructu prædii sunt; de quibus l. item si fundi. 9. ff. de usufr. per tot. Porro lac, butyrum, caseus, lana, c. 4. & 5. X. h.t. Dessel. Erotem. 3, 30, 3. Rebuff. q. 8. Werndle lib. 2. c. 3. Monct. c. 4. Carpzov. Jurispr. Consistor. l.l. defin. 131. & seqq. prout tamen cujusque loci consuetudo fert. arg. c. cum dilect 8. X. de Con-suet. Werndle d. l. 2. n. 1. Præterea Proventus intelliguntur non tantum cuiuscunque generis, sed & quotiescunque nati; ita, ut si ager bis, vel pluries in anno colatur, toties solvendæ sint Decimæ, quoties fructus colliguntur. Werndle lib. 2. c. i. q. 1. Carpzov. Jurisprud. Consist. d. defin. 131. n. 7. add. Dn. Schilt. Inst. Jur. Canon. 2, 8, 14. Prædialium autem proventuum numero censentur etiam proventus Novalium: arg. c. quoniam. 13. X. h.t. Est autem Novalis acceptio duplex, una largior, altera strictior. Priori in significatu, novalem terram definit Catus Consultus in l. sylva. 30. §. nov. 2. ff. de V.S. quod sit terra præcisa, quæ anno cessavit: ubi Goedd. in not. n. 9. & 10. de quâ etiam Virgilio sermo, quando ait: 1. Georgic.

*Alternis idem est tonsas cessare Novales  
& vulgo nota sunt illa:*

*Alternis etiam fessas cessare novales  
Expediat:*

In quo largo significatu venit ager, quem in insériori Saxoniâ Brackland / apud nos verò in Alsatiâ Brachfeld/Brach-Acker indigitant: addatur Dn. Schilt. d. 2, 8, 14. Alterâ significatione Novale est ager nunc primum præcisus c. i. X. d. V.S. sive terra, noviter primum aratum

experta. Dn. Schilt. d.l. Werndle lib. 4. c. 1 in idiomate vernaculo definit: ein Neurauth seye nichts anders/ dann ein Grund und Boden/ so zum erstenmal auffgebrochen ist; sicutur alias ein Neubruch/ Werndle d.l. item Rodland vom roden und ansreiten Wehn. Obs. Pr. voce Noval-  
Behenden. item reuthen. Dn. Schilt. d.l. à quo differunt ein Eckerte itemque ein Brach-Feld. vid. D. Neubronn.  
*Disput. inaugur. de Noval. th. 2. 3. & seqq.* De utroque De-  
cimæ solvendæ sunt de Jure Canonico per d.c. quoniam.  
33. X. b.t. junct. d.c. i. d. V.S. et c. i. d. V.S. in 6. Debentur  
præterea ex beneficiis ipfis Ecclesiasticis ex Concilio  
Mogunt. c. 42. Dn. Schilt. d.l. Quibus autem Decimæ  
Novalium prioris significatus præstandæ sint, extra du-  
biū est. vid. Dn. Stryk. ad Brunnem. Jur. Eccl. 2, 6, 9.  
quibus verò ex Novalibus posterioris significationis  
debeantur? supra quadantenus indicatum est. Conf.  
Brunnem. Jur. Eccl. d.l. ibique Dn. Stryk. Et hæc quo-  
ad Decimas prædiales, Unde vero personales præstandæ  
sint, superius jam attigimus. Quarum usus cum aut  
desuetudine aut consuetudine contrariâ dudum subla-  
tus sit. Canis. c. 4. n. 13. frustra queritur, anne etiam ex  
testamento vel alio modo per largitionem liberalem,  
itemque ex licetè vel illicetè acquisitis, debeantur. vid.  
interim Canis. d. c. 4. Rebuff. q. 8. Tynd. n. 45. et seqq.

*Forma.*

XV. Formam juris Decimarum melioris doctrinæ  
gratiâ distinguere liceat in genericam & specificam.  
Genericam constituo in jure Ecclesiæ competente ad  
sustentationem Ministrorum Ecclesiæ. In jure dico,  
neque enim Decimæ hic materialiter considerantur,  
sed formaliter, ut facultatem habendi significant secun-  
dum legem. Dico secundum Legem: sub Decimis enim  
hic agitur, non ut legem Decimalem significare possunt,  
exem-

exemplo scil. Vicesimarum, de quibus videatur Disput.  
de Vicesim. heredit. c.i. §. 15. sub Præsidio Domini Præsidis  
anno 1677. habita, sed ut facultatem secundum leges, ca-  
nones & mores Ecclesiæ competentem, uno nomine le-  
gitimam, denotant. *Habendi addo*: nec enim ut jus im-  
perandi Decimas via Jurisdictionis hic considerantur;  
Ecclesiæ enim nulla potestas imperandi Decimas com-  
petit, quippe cui jus quidem circa spiritualia tribuitur,  
in corporalia verò datum non est. Non addo: *in re vel ad rem*; Jus enim Decimarum hic in generali conceptu  
venit: jus autem Decimarum in generali sensu conside-  
ratum, neque juris in re neque ad rem species est, sed  
utrumque conceptum includit. Jus, inquam, Deci-  
marum aliud in re, aliud ad rem, est; *Jus decimarum ad rem* voco, quod vel circa proventus futuros sive prædia-  
les, sive personales, ex solâ promissione competit, vel ex  
quo nomine proventum præteriorum consumptorum  
actione personali adversus eum, qui consumpsit, experi-  
mur. *Jus decimarum in re* appello, cum quod circa præ-  
diū decimale seu decimis obnoxium pro futuris pro-  
ventibus competit, atque inde quemcunque prædii pos-  
sessorem onerat, & servitutis species est, tum quod ipsos  
proventus præsentes afficit, & Dominii substantiam ha-  
bet. Quæ causa esse videtur, cur hâc de re Canonibus  
nihil specialiter definitum fuerit; Doctores verò in con-  
stituendo genere proximo juris Decimarum dubii hæse-  
rint. Et hactenus verum est, jus Decimarum Dominii  
speciem esse, eoque pertinere puto verba c.caus.Carpens 13.  
ibi: *in solis Ecclesiarum bonis præcipue numerantur. X. de V.S.*  
Videtur enim quoad proventus præsentes Decimis sub-  
jectos communio quædam inter eum, de cuius rebus  
Decimæ debentur, & Ecclesiam consistere, ratione cuius

illi quidem novem partes; huic verò decima, Proventuum competant. Quatenus verò jus Decimarum ad prædium Decimale refertur, vera est illorum D.D. sententia, qui Decimas servitutis speciem faciunt, vel certè analogiâ quâdam illis respondere dicunt. ut Dn. Crolov. d. *Disput. th. XLI. in Exod. pr.* ubi tamen realibus assimilat. cui non subscribo. Ecclesiæ enim immediate competunt, non interveniente prædio; non obstante, quod jus perpetuum sint, nec cum persona ministri expirent: personalitas enim durationis ad substantiam servitutis personalis non pertinet, sicut nec perpetuitas ad essentium realis requiritur. arg. l.5. pr. quib. mod. usus fr. am. l.4. pr. ff. de serv. l.4. l.37. ff. de serv. præd. rust. l.14. §.3. de alim. leg. Dico Ecclesiæ competente ad sustentationem ministrorum ejus: neque enim agitur hic de Decimis, quæ Magistratui Politico competunt, atque ad alias fines, aliâque formâ, præstantur; sed quæ Ecclesiæ pro sustentatione Ministrorum, sive à publicis, sive à privatis personis, concessæ sunt. Et hactenus verum est, jus Decimarum esse juris divini: præcepit enim Deus sustentandos esse eos, qui verbum ejus prædicant, & sacramenta divina ad ministrant; ut ad causam finalem dicam. Ex hoc vero præcepto Ecclesiæ jus instandi pro mediis eo perveniendi competere, facile intelligitur.

*Forma spe-  
cifica.*

XVI. Forma specifica conspicitur in determinacione juris ad quotam Proventuum, Ecclesiæ ad sustentationem ministrorum ejus affectam. In cujus expositione attendendum est 1. ad qualitatem 2. ad quantitatem 3. ad genus proventuum, 4. ad habendi commoditatem 5. ad tempus proventuum. Qualitas quoq; conspicitur in necessitate præstationis. Est enim hæc quota necessaria sive necessario præstanda: si enim Decimæ sunt jus,

id

id, quod ex jure eo præstandum est, necessario præstandum est: in quo differt quora hæc ab oblationibus spontaneis, de quibus Canonistæ ad poster. part. t.X. de Decim. & Oblat. Brunnem. jur. Ecclesiast. 2, 6, 17. ibique Dn. Stryck. & jus Decimarum à jure circa res sponte oblatas Ecclesiæ competente. Quantitas Decimarum alia est Decimarum verarum, alia fictarum. Illa consistit in verâ & naturali proventuum Decimâ parte, Crolov. th. 3. Quantitas fictarum pro varietate consuetudinis variat, interdum enim solvitur duodecima, interdum vicesima, quandoque alia, quamvis portio illa semper vocetur & habeatur pro Decimâ. Dessel. Erotem. Jur. Canon. 3, 30, 1. Regulariter autem quantitas Decimarum consistit in decimâ parte, nisi alia sit consuetudo, quæ attendenda arg. c. i. X. h. t. c. quoniam. fin: c. 16. q. 1. Clem. si benef. 2. pr. d. t. Corvin. aphorism. J. Can. l. 1. t. 38. in fin. Non æ Decimarum jure competentis ex Lehmanni Chron. Spirens. l. 2. c. 35. Dn. Schilt. Inst. J. Canon. lib. 2. tit. 8. §. 13. meminit. Non autem ratione & exemplo destituitur hæc locutio, quâ jus non æ vel duodecimæ decimarum nomine venit; postquam in definitione Juris Decimarum non tam ad quantitatem, quam ad qualitatem jura & privilegia ejus, attendendum est; & simili ratione in jure Legitima quartæ nomine indigitatur, licet trientem vel semissem portionis ab intestato debitæ jure novo contineat. conf. Carpzov. Jurisprud. Consist. l. 2. defin. II 5. Anton. Faber Cod. I. 3. 21. Reinking. de R. S. & E. l. 3. Cl. 1. c. 8. n. 8. Brunnem. J. Eccl. 2. 6 1. & Dn. Stryk. in not. ad eund. Dn. Crolov. dict. Disput. th. 4. nec novum est, ut surrogatum, quod naturam ejus, in cuius locum surrogatum est, sapit, nomine ejus gandeat. Quod genus proventuum attinet, afficiunt Decimæ proventus omnis generis, ut supra in exposi-

expositione objecti dictum est. Illud hic addendum, Decimas non ad electionem solventis deberi. c. quicunq. c. omnes decimæ. 16. q.7. Carpzov. Jurispr. Consist. defin. 130. sed ita, ut nec optimum nec pejus detur pro Decimâ, uti habetur in d.c. quicunque. vid. Monet. c. 6. n. 26. Werndl. lib. 2. c.3. arg. l. legat. generaliter ff. de Legat. 3. & fructus Decimales solvendos ex iis, quos quisque in agro suo colligit, so gut als es einem gewachsen/ neque in lolium aut glumas converti debere frumentum ait Carpzov. defin. 126. alias in poenam utrumque tum pejus tam melius debetur. d.c. omnes decim. c. 16. q.7. Rebuff. 11. 2. *Commoditas habendi & percipiendi* in eo conspicitur; quod jure Canonico Decimæ prædiales statim cum collecti sunt fructus h.e. cum à solo separati sunt, Dn. Crolov. th. 43. non deductis expensis, solvi debeant c. cum homines. 7. X. h.t. c. non est in pot. 22. c. tua nobis. 26. X. eod. c. pastoral. 28. eod. Dn. Stryck. in not. ad Brunnem. Jus Ecclesiast. l. 2. c. 6. §. 6. Rebuff. q. 11. n. 3. & seqq. ut & ante censum & tributorum solutionem. c. cum non sit in homine. 33. X. eod. Carpzov. lib. 2. def. 136. Brunnem. 2. 6. 8. Corvin. d. t. 38. v. person. debentur & vers. solvi debent. per rationem Dn. Stryk. d. l. Personales contra, expensis deductis. d.c. Pastoralis. 28. X. h.t. Corvin. d. vers. person. debentur. Rebuff. q. 11. n. 4. Brunnem. & Dn. Stryck. 2. 6. 6. ibique allegat. & quidem in fine anni præstari solent. Rebuff. q. 12. n. 4. & seqq. Monet. c. 6. n. 11. & seqq. Brunnem. l. 2. c. 6. n. 8. De moribus hodiernis reales aliæ competunt in mergitibus, quæ propterea manipulariæ dicuntur, Behend-Garben/ aliæ in granis, Behend-Korn/ Haffer-Decem &c. Carpzov. Jurispr. consist. lib. 1. defin. 127. Dn. Schilt. 2. 8. II. Brunnem. Jur. Eccl. l. 2. c. 6. §. 14. Quâ in re sicut consuetudinis cujusque loci ratio haben-

da



da est, ita Colmariæ patriæ meæ hactenus obtinuit, daß sie allezeit den Zehenden bey Einsamitung der Früchten in den Garben liegen gelassen/ welchen der Zehend-Herr nachmals abgeholt. Latius hæc pertractantem vid. Schöttel. de sing. in Germ. jur. c. 8. n. 15. ubi modum decimandi apud veteres Saxones olim usitatum prolixè recenset. Quod Tempus proventuum attinet, de Jure Canonico & moribus hodiernis prædiales Decimæ ex fructibus quotiescumque natis debentur c. ex parte Canonicorum. 21. c. nuncios. 6. X. h.t. Werndle. l.2. c.1.q.1. Carpzov. lib.1. defin. 131. & seqq. Dn. Schilt. d. l.2. tit. 8. §. 14. In specie, quando Decimæ animalium itemque von der Abersaat/ i. e. de talibus fructibus, qui ex agris bis vel ter in anno cultis colliguntur, pendendæ sint. vid. Werndle. d. l.2. c.1. q.1. & seqq.

XVII. Finem Decimarum decretales Pontificum in recognitione divini Dominii Universalis consti-  
tuunt. c. tua nobis. 26. v. cum enim. ibi: quas DEUS insi-  
gnium Universalis Domini sibi reddi præcepit. &c. cum non sit  
in homine. 33. ibi: in signum universalis dominij quasi quo-  
dam titulo speciali sibi Dominus Decimas reservaverit. &  
ibi: ut in prærogativam Domini generalis. X. h.t. Sicut au-  
tem hic non agitur de eo, quod ad Deum pertinet, cui  
alias omnia debentur, sed de Decimis Ecclesiasticis, quæ  
Ecclesiæ ad sustentationem Ministrorum ejus compe-  
tunt, non ex concessione divinâ, ut olim Tribui Levi,  
quæ falsa est Pontificum traditio, sed, ut supra dictum  
est, ex constitutione Privatarum Publicarumve Personar-  
um; Ita finis Decimarum melioris expositionis gratiâ,  
distingui potest in ultimum & intermedium. Ulti-  
mum dico administrationem sacrorum, seu Ecclesiasti-  
cam: ob hunc enim finem Ecclesiæ competunt Decimæ,

D

ut

ut eo expeditius sacra tractentur exerceanturque, verbum Dei scilicet prædicetur & sacramenta administrentur, & per hæc cultus divinitus celebretur. Intermedium nomine sustentationem Ministrorum Ecclesiasticorum: Ut enim sacra eò diligentius & facilius tractentur, sustentatione Ministrorum Ecclesiæ, ut Ministri Ecclesiæ sustententur, salario opus est; quo ut dignè atque laboribus suis convenienter gauderent, non ex præcepto de præstandis Decimis perpetuo atque universali, sed ad imitationem & exemplum ipsius DEI piè & rectè factum est ab illis, qui ad dictos fines decimas deputarunt, & etiamnū sit ab his, qui easdem deputant: dignus enim est operarius mercede suâ Matth. 10, 10. Luc. 10, 7. atq; si bovi trituranti os claudendum non est Deut. 25, 4. I. ad Corinth 9, 9. I. ad Timoth. 5, 18. quanto minus solatio laboris, imo mediis sine quibus honeste vivere non potest, Minister Ecclesiæ defraudandus est. I. ad Cor. 9, 14. Quamvis deplorandus sit avarus præsentis seculi genius, quo bobus libentius alimenta subministrantur, quam Ministris Ecclesiæ & similibus personis; quo Bacho & Cereri facilis litatur, quam Deo; quo latatur mundus cum diabolo, si personæ ejusmodi salario jam competente privaverit. Quem dixi, proprius Decimarum finis est; quo jure vero Decimæ passim ad alios fines, & quidem sine compensatione, hodie transferantur, sponte intelligitur. Saluti certè Ecclesiæ amplius consuleretur, si Ministris ejus convenientiora ab Imperantibus salary constituerentur, quam fieri videmus.

## Effidus.

XIIX. Ostensum est haec tenus, ex quâ causâ, à quibus personis, cui, de quibus rebus, quomodo, tum quoad qualitatem tum quantitatem, Decimæ præstandas veniant, quis denique finis earum principalis ex-

stat:

stat: sequitur nunc ut de effectibus pauca addam. Effectus decimarum, si distinctè proponendi sunt, partim concernunt personam debitoris decimatum, partim decimarii. Qui personam debitoris concernunt, in obligatione passiva, servituti personali simili, & consequentibus ejus consistunt. Qui personam decimarii resipiunt, conspiuntur in illis, quæ decimario post jus constitutum competit. Alii autem sunt juris Decimarum tantum promissi, alii acquisiti. Effectus promissi conspiuntur in obligatione activa & actionibus personalibus, quæ pro diversitate promissionis variæ sunt: veluti ex stipulatu, si in stipulationem deductæ fuerint; exempto, si venditæ; præscriptis verbis, si ex contractu innominato; ex Lege vel Canone, si pacto; extraordinariâ persecutione, si pollicitatione promissæ fuerint. Conf. Dominus Crolovius *dissert. de Decim. th. 49.* ibique cit. Canis. c. 18. Meichsnerus *Decis. Cam. 22. in voto Referent.* §. de Actione. Effectus juris Decimarum acquisiti spectatur, cum in actuali decimarum usu & exercitio, tum in judicio decimali. Exercitium & usus decimarum sese exserit, partim in possessione juris, partim in perceptione fructuum Decimalium, partim in translatione & alienatione earum. Dn. Crolov. th. 40. & seqq. Quo pertinet, quod is, cui Decimæ feudo concessæ sunt, jus Decimarum utile habeat, easque alteri per subinfeudationem concedere possit. Dn. Crolov. d. th. 40. quod de Decimis etiam tit. fendi Laico ante Concilium Lateranense concessis Doctores citati Canisio c. 14. n. 2. & Crolovio th. 40. Juri Canonico convenire scribunt: à quibus dissentit Canis. d. l. per c. 7. X. de his quæ fiunt à Prælatis & c. prohibemus 19. X. h. t.



XIX. In Judicio Decimali attendendum, tum ad genus actionum Decimarum nomine competentium, tum ad forum competens. Actiones ex jure acquisito competentes sunt vel possessoriae, vel petitoriae. Petitoriae aliae ex jure in re, quae Decimas patitur, aliæ ex jure circa fructus jam collectos. Ex jure in re, quae Decimas patitur, utilis confessoria. Ex jure circa fructus jam collectos, rei Vindicatio, vel communi dividundo judicium. Aliter Dominus Crolov. *tb.* 54. non contra novum Possessorem hypothecaria. Conf. Dn. Crolov. *tb.* 33. Remedia possessoria pro varietate hypothecariorum varia sunt: Pone Decimas testamento relietas, & interdicto quorum bonorum locus erit; pone Decimas jam acquisitas, quarum in possessione vel quasi quis turbatur, & interdictum uti possidetis utile locum inventet; pone Decimarium vi dejectum, & interdicto unde vi experiendum erit.

XX. Supereft, ut excutiamus agitatam hucusque in foro quæstionem: coram quo judice actiones Decimarum nomine competentes instituendæ sint? Quam quæstionem multi interpretum ita decidunt, ut si lis sit in possessorio, ad judicem secularem, sin in petitorio, ad Ecclesiasticum causam Decimarum pertinere statuant. Cujus distinctionis fundamentum in eo ponitur, quod possessio decimarum temporale quid sit, jus ipsum vero decimarum spiritualium causarum species haberi debeat: quam distinctionem probant Gaius I. *Obs.* 28. n. 1. & seqq. Myns. 2. *Observ.* 67. Contrarium verò Alexander Monet. *tr. de Decimis c. 8. n. 8.* & seq. aliquo modo sustinere conatur. Gaius certè *d. Observ.* n. 4. expressè testatur, suo tempore in causis decimarum controversiâ super possessorio mota citationes in Camerâ

merâ decretas & appellations receptas fuisse ; In petitorio verò Decimarum controversiam ad Judicem Ecclesiasticum spectare dubium non esse per Clem. *dissend.* *de judiciis & in c. lit. de juramento calumniae c. fin. de rerum permut. c. caus. de prescript. c. tua & t. t. X. de decimis.* Idem num. 1. scribit. Consentit Mon. d. c. 8. n. 1. & seqq. Sed ut, referente Domino Crolovio. d. *dissert. th. 55.* apud Meichsner. *decis. Cam. 22.* hoc ipsum in dubium vocatum fuisse notatur, atque differentia ista, teste eodem Crolovio, in provinciis inf. Saxonie vix observatur; cum passim causæ decimarum tam in petitorio, quam in possessorio, per Judicem secularem agitantur & decidantur. *d. th. in fin.* ita solido fundamento demonstrari nequit, causam decimarum perse consideratam spiritualem esse : quodque in superiori Saxonie cognitio hæc Consistoriis Ecclesiasticis tribuitur, ut refert Carpzov. *Jurispr. Consist. lib. 1. defin. 138.* observantiæ potius cuidam particulari, quam Juri Universali adscribendum videtur.

XXI. Contraria Decimarum alia Decimas constituendas impediunt, alia constitutas tollunt. De illis quæ constituendas impediunt, constare potest ex iis, quæ in expositione singularum Causarum supra dicta sunt. Contraria, quæ constitutas tollunt, sunt (i.) factum Legislatoris : posse enim Principem superiorem non reeognoscentem de plenitudine potestatis suæ Decimas Ecclesiæ concessas ex rationibus justis & prægnantibus, surrogato aliunde Clericis sive Ministris Ecclesiæ salario condigno, in usus seculares transferre, non dubito; atque appareat ex doctrinâ eorum, qui de secularisatione bonorum Ecclesiasticorum scripsierunt. vid. Ahasver. Fritsch. *Exercit. Jur. publ. part. 3. Exercit. 8.*

D 3

conf.

conf. Dn. Stryck. ad Brunnem. *Jur. Eccl.* 2, 6, 15. Cui consentaneum est, posse decimas consuetudine quoque rationabili cœterisque suis requisitis constante immutari per c. in aliquibus §. ultim. c. commissum. c. cum homines. c. dilecti. c. ad Apostolicæ. X. de decim. Rebuff. q. 3. n. 46. (2.) factum Ecclesiæ decimariæ licitum, si ex causâ majoris utilitatis decimis competentibus cedat e. g. permutoando eas vel transigendo de iis. Wehn. obseru. Pr. voce Noval-Zehend. fin. interveniente de jure Canonico authoritate superioris, si ab inferiore quodam sacerdote fiat transactio, per c. veniens. 8. c. statuimus. 2. X. de transact. quod quidem de decimis præteritis Rebuffus tract. de decim. q. 13. n. 33. admittit, an vero etiam de futuris idem dicendum sit, vid. disput. de Compos. amicabil. sub Domino Præside &c. anno 1682. hab. c. 5. §. 3. (3.) factum ejusdem illicitum, puta Apostasia, Paganismus, Judaismus &c. Cessante enim conditione atque causâ, sub quâ Decimæ concessæ sunt, ipsum quoque jus Decimarum cessare videtur. Quod de Apostasiâ dixi, civili sensu intelligendum est, h. e. de eâ, quâ quis à Religione in Republ. receptâ desistit, non Theologico : etiamsi enim e. g. in Imperio Rom. Germ. Ecclesiæ à Papismo ad Lutheranismum, vel Calvinismum, transiverit, propterea tamen Decimis in statu priori ipsi concessis non erit privanda, postquam in politicis differentia opinionum istarum circa Religionem non attenditur. Ad factum illicitum refero quoque causam maximæ & mediæ, quam Ecclesia patitur, capit isminutionis ; eodemque non usum, si nempe per Ecclesiam steterit, quo minus intra tempus lege definitum decimis uteretur, atque ita præscriptione temporis legitimi, cœterisque suis requisitis

tis

scri

Va

Jur

tit

scr

per

vali

§. f

scri

ten

der

aut

tis

dem

Ca

Ca

Etu

flu

dat

vis

vel

eod

Ecc

co

Pr.

d.l

tin

nu

tus

tis constante, jus competens amissum sit. arg. c. i. de *præscript.* in 6. Covarr. tom. II. var. R. lib. I. c. 17. n. 7. & 10. Vatquijs lib. 2. *illustrium controv.* p. I. 89. n. 10. Brunnem. Jur. Eccles. 2, 6, 15. ibique Dn. Stryck. à quibus dissentit Rebuff. q. 13. n. 55. ibi: *quod nec Clericus nec Laicus præscribere libertatem nullas solvendi Decimas possit, etiam si per mille annos viveret.* Quæ tamen *præscriptio ad novalia extendi nequit.* arg. c. cum *contingat.* 29. c. tua. 25. §. fin. X. h. t. cuius ratio reddi potest hæc, quod *præscription* non currat adversus eum, qui jure sibi competente non potuit uti. (4.) *Defectus personæ* concedentis, si forte ex jure dependente concessæ fuerint, jus autem illud fuerit resolutum: resoluto enim jure dantis resolvitur & jus accipientis. arg. l. 105. ff. *de cond. & demonstrat.* (5.) *Jus Retorsionis*, de quo supr. §. XII. Carpzov. 1. *defin. Eccles.* 137. Dominus Schilt. *Inst. Jur. Can.* 2, 8, 16. (6.) *Rei Interitus*, puta si certus distritus ex quo decimæ debentur, chasmate, vel impetu fluminis, aliâve inundatione pereat, vel inutilis redditatur. Quo etiam pertinet incursus hostilis, aliaque vis major, ob quam debitoribus Decimæ vel in totum, vel in tantum, remittuntur. arg. l. 8. C. *Locat.* l. 15. §. 4. ff. eod. c. 3. X. eod. vid. supr. §. VIII. *in fin.* Brunnem. Jur. Eccles. 2, 6, 15. (7.) *Immunitatis concessio*, quæ vel contingit privilegio, vel consuetudine. Wehn. *Obs. Pr. voce Noval-Behend.* circa fin. Brunnem. Jur. Eccles. d. l. ibique Dn Stryck. Ad contraria denique (8.) pertinere quoque videtur Redemptio. Levit. ult. *vers. 31.*

XXII. Affines sunt Decimis Ecclesiasticis hæc—*Affinia.*  
nus descriptis (1.) *Decimæ ex voto oblatae*, de quibus tex-  
tus in l. 2, §. 2. ff. *de pollicit.* in qua, si *Decimam quis bono-*  
*rum*

rum voverit, decima non prius esse in bonis desinit, quam fuerit separata. Tales vovebant olim Romani, Hetrusci, Græci, aliæque Gentes, de quibus Gothofred. *innot. ad. l. 2. §. 2. ff. de pollicit.* Alexander ab Alexand. *genial. dier. lib. 3. c. 22. fol. 168. vers. nonnunq.* Werndle. *lib. 1. c. IV.* Canis. *c. 1. n. 5.* Rebuff. *q. 1. n. 5.* Carpzov. *lib. 1. Jurispr. Consist. defin. 125.* Camill. Borell. *Consil. de decim. 1.* Schöttel. *de singul. in Germ. jur. c. 8. n. 12.* Grot. *d. I. B. & P. lib. 3. c. 6. n. 1.* (2.) *Decima olim ex L. Pap. Poppæa fisco debita ex iis, quæ conjuges sine liberis dece- dentes sibi invicem relinquebant, quam ex l. 2. C. de in- firm. pæn. cælib. colligi posse putat Buleng. de V. P. R. c. 35. Conf. Ant. August. de LL. & SC<sup>ris</sup>. Pop. Rom. in leg. Pap. Poppæa. p. III.* (3.) *Decima, de qua Ulpian. t. 15.* Brisson. Lexic. voc. Decima. (4.) *Decima metallorum, de quâ jam supr. §. III. ex parte dictum fuit: & hæc alio nomine Ca- nonMetallicus l. 2. C. de metall. dicitur. Goedd. ad leg. I. 7. ff. d. V. S. n. 9.* quæ utrum hodiè ad regalia indistincte refe- renda, atq; ex omnibus metalli generibus præstanda sit, vid. Dn. Stryck. ad Brunnemann. *Jus Eccles. d. lib. 2. c. 6. §. 17.* ibique citati. (5.) *Decima Emigrationis, quæ de bonis subditi è civitate migrantis solvitur.* Item (6.) *Decima Exportationis, quæ hæreditatibus, quæ Ex- teris hæredibus obveniunt, detrahitur, alio nomine jus detractionis vocata: in quibus quid in Germ. usu obtineat, vid. Spreng. Inst. Jur. Publ. l. 2 c. 21. & Disput. apud Fritsch. Exercit. Jur. Publ. 1, 3, & 2, 4. & Wehn. Obs. Pract. voc. Nachsteuer.* (7.) *Decimæ seculares aliæ, inter quas Decimæ saladinæ, militares, infœudatae, Gallicè dixmes infeodées.* (8.) *Decimationes Salicæ, de quibus Carol. du Fresne in Glossar. ad script. med. & infim. Latinit. voce Decima* (9.) *Primitiæ, quæ quidem ex lege*

lege Mosaicâ debebantur, sed hodiè meri sunt arbitrii. Brunnemann. *Jur. Eccl. lib. 2. c. 6. §. penult.* ibique Dn. Stryck. & allegati. Et hæ olim apud veteres Saxones appellabantur Ciricscatum, vulgò Kirchenschatz / notante Schöttel. *de singular. in Germ. jurib. c. 8. n. 6.* (9.) *Oblationes* strictè ita dictæ sive Spontaneæ, sub quibus omnia comprehenduntur, quæ intuitu religionis in usum Ecclesiarum earumque Ministerorum sponte offeruntur, seu quæcunque fidelis sponte DEO offert & Ecclesiæ. c. *Causa Carpensis. 13. c. cum inter. 29. X. de V.S. Monet. c. 2. n. 9.* Brunnem. *Jur. Eccl. d. lib. 2. c. 6. §. 17.* ibique Dn. Stryck. De quibus quid primis Ecclesiæ temporibus & postmodum invaluerit, vid. Schöttel. l.c. Unde originem duxisse videntur nummi illi, qui singulis anni quadrantibus, vel in deductione funerum, offerri soliti, die Opferpfenninge/ de quibus Carpzov. *Jur. Eccl. lib. 1. defin. 105.* Dn. Stryck. d.l. (10.) *Portio Canonica decimarum*, sive congrua portio, quæ ex Decimis potissimum sumi solita, debetur Parochis vel eorum Vicariis, si fortè dignitati vel præbendæ Ecclesia paroecialis fuerit annexa, ad congruam & decentem vitæ sustentationem necessaria. arg. c. *extirpanda. 30. X. de præbend.* Dessel. *Erotem. Jur. Canon. 3, 30, II. & 12.*

Atque hæc ista sunt, quæ de jure Decimarum Exercitii Academicí loco delibare ingeniique conatu assenti datum fuit: quam profundam adeò materiam, si pro dignitate & amplitudine ejus, quo decuit modo, exhaustire non licuit, fateor lubens, id voti magis quam virium fuisse, quarum & in arduis periculum fecisse, non in consultæ temeritati, sed saniorum judicio consilio-

E

que

que, adscribent illi, quibus de ratione propositi & electione argumenti nostri constiterit: quorum sinceræ dexteritati & dexteræ sinceritati uti Exercitium hoc meum Academicum submittere nullus dubito, ita certa vicissim spes me alit, eos tenuitatem meam & emergentia hinc inde παροχήματα benevolentia & humanitate suâ sublevaturos esse.

Tantum.

## PARERGA.

- I. Retorsio Juris singularis, licet in tertium, optimo fundamento nititur.
- II. Error rei translationem Dominii impedit.
- III. Etiam res incorporales præscriptione acquiri possunt.
- IV. Juramentum metu extortum non tantum de Jure Civili, sed etiam de Jure Canonico, ipso jure subsistit.
- V. Rerum corporalium non datur dominium.
- VI. Præscriptio etiam obligationem naturalem tollit.
- VII. Jus pascendi servitutis species est.

IIX. Lega-



- IX. Legatum à testatote relictum, ne quidem eo permittente, propriâ autho-  
ritate à Legatario impunè occupari  
potest.

IX. Bona fides etiam in opinione hominis  
dubitantis conspicitur.

X. Duo unam eandemque rem in foli-  
dum possidere nequeunt.

XI. Sententia modus adquirendi Domi-  
nium non est.

XII. Sententia absolutoria lata in principa-  
li negotio parit exceptionem rei ju-  
dicatæ in accessorio.

*Quid genus & celebres jactas, ROETLINE, Parentes,  
Quæ patriæ splendent lumina magna tue?  
Ingenium velox porro celer excole, virtus,  
Quam sequeris, nomen stemmate majus habet.*

## gratulabundus

f.

# PRÆSES.

# *FINIS.*

754  
XII

N

N





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-609231-p0039-6

DFO



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-609231-p0040-8

DFO

Strasburg, Diss., 1680-84  
X 2284278

ULB Halle  
006 682 243

3



KD7






Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-609231-p0042-9

DFO

**Farbkarte #13**



D. D. E. A.  
DISSERTATIO JURIDICA  
DE  
**DECIMIS**  
**ECCLESIASTICIS,**  
1683 1/4  
IN INCLUTA QUÆ ARGENTINÆ  
EST ACADEMIA  
SUB MODERAMINE  
DOMINI  
**FRIDERICI SCHRAGII, J. U. D.**  
PANDECT. JURISQUE CANONICI PROF.  
ORDINARII, FACULTATIS JVRIDICÆ  
p. t. DECANI &c.  
SOLENNI ERUDITORUM DISQUISITIONI  
SISTIT  
EMANUEL RÖTTLIN, COLMARIA-  
ALSATUS, AUTH. & RESP.  
D. MENSIS JULII, A. R. S. M DC LXXXIII.  
ARGENTORATI,  
LITERIS JOH. FRIDERICI SPOOR.

